




Sammelband

Obj 176.

733.

Handwritten notes on the right edge of the page.





2
917
D. ÆGIDII HVNNII
piæ memoriæ,

COMMENTARI
OLVS IN EPISTOLAM
D. PA VLI Apostoli ad
Philemonem,

*Nunc primùm in lucem editus
opera & studio*

HELVICI GARTHII, S. S.
THEOL. D. PAST. ET SVP.
Ossariensis.



Cum Gratia & Privilegio Electorũ Saxonicæ

WITTEBERGÆ.

Typis Mullerianis, impensis Becha
oldi Raab & Clementis Bergeri.

ANNOM. DC. VII.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.

P
T
C
a
B
C
l
f
r
g
b
c
a
l
n
f



3

PROLEGOMENA DE
Occasione & argumento
Epistolæ.

HÆc Epistola ad Philemonem privata eodem tempore scripta est, quo Paulus Romæ detentus in vinculis nonnullas alias exaravit, ad integras Ecclesias directas: Nimirum ad Galatas, Ephesios, Philippenses & Colossenses. Est autem hac ut & Epistola ad Colossenses missa per servum Onesimum. Et ostendit collatio circumstantiarum, quæ & in hac ad Philemonem & in altera ad Colossenses Epistola occurrunt, quod Philemon fuerit civis Colossensis. Nam & de huius servo Onesimo scribit Paulus ad Coloss. 4. Misi Tychicum una cum Onesimo, qui est ex vobis, id est, ex famulatio vestri concivis: & Archippum, quem Paulus in inscriptione conjungit cum Philemone, constat fuisse ministrum Ecclesia Colossensis, quemadmodum ad Col. 5. scribit Apostolus: Dicite Archippo, Vide, ministerium, quod accepisti in Domino, ut impleas. Idcirco & Epaphras, cujus ministerio Colossenses ad fidem Christi sunt con-

EXPLICAT. EPIST.

versis, salutem adscribit Philemoni in hac Epistola, tanquam ei, qui opera sua fuit ad fidem Evangelij perductus.

Porro ut de occasione scribende huius epistolae simulq; de argumento dicatur, habuit Philemon servum Onesimum, is ut ferè solet vulgus servulorum, profugerat à suo heri non sine furto, venitq; Romam, ubi Paulus tenebatur in vinculis. Liber autem patebat quibusvis aditus ad Apostolum, dicente Luca Act. 8. mansit Paulus biennio toto in suo conductu, & suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad ipsum, prædicans regnum Dei, ac docens, quæ sunt de Domino Iesu cum omni fiducia, nemine prohibente. Onesimus ergo, cui tanquam domestico de heri sui Philemonis, Apostoliq; Pauli familiaritate probè constabat, licet adhuc à fide Christiana esset alienus, hæc tamen occasione venit ipse quoq; ad Apostolum, auditq; illo doctrinam Evangelij amplexus est: & ne privati commodi gratia (ut nimirum veniam consequeretur apud herum intercessione Pauli) Evangelio nomen dedisse putaretur: fidem suam claris indicijis testatum reddidit, ministrans aliquandiu Paulo in vinculis. Hunc ergo quia noverat esse servum Philemonis (erant autem

antem servi ijs temporibus in potestate dominorum suorum tanquam pars possessionis illorum omnino remittendum illum esse iudicavit, sed sua commendatione munitum, qua & iratum herum mitigare, & servo prius a fide Christi alieno, ac simul inutili, nunc autem converso & frugi reddito insolidum reconciliare impensissimè conatus est, nihil omnium eorum prætermittens, qua ad impetrandum servo veniam momentum aut viam aliquam habere videbantur: usq; adeò, ut vix ullum verbum occurrat in Epistola, quod non ad hunc scopum reconciliationis aliquo modo collimet.

Partes Epistolæ.

Quatuor sunt Epistolæ hujus partes. I. est inscriptio cum salutatione: II. Exordium. III. Transitus ad propositionem, una cum propositione ipsa confirmationi sic intertexta, ut ab ea in explicando commodè separari nequeat. IV. Familiaria quedam attentens Apostolus solito voto finit Epistolam.

PRIMA PARS.

Paulus) Nomen autoris exprimit epigrapha. Quis autem, quantus & quam exi-

mius Dei servus & incomparabilis Apostolus
Iesu Christi fuerit Paulus : apud omnium
temporum Ecclesias ita notum & percelebra-
tum est, ut recensendis laudibus eius immora-
ri hoc loco nihil attineat.

Vinctus Christi Iesu) In ceteris quid-
dem epistolis se servum dicit Iesu Christi vel
Apostolum. in hac autem illius se vinctum
nominat, hoc ipso fidelitatem, quam servato-
ri suo ad vincula usq; praestet luculenter in-
sinuans, & oblique simul ad principalem cau-
sam hanc quoq; vinculorum suorum mentio-
nem referens, quorum molestiam Philemon
aliquatenus sublevare queat, si gratificetur
ei in recipiendo Onesimo, sicut eodem argu-
mentum paulò post utitur in Epistola. Addit
autem, se vinctum esse Christi Iesu, ut
doceat non delictum aliquod sed solam pro-
fessionem doctrinae de Christo vinculorum
suorum esse causam.

Et Timotheus frater,) Ceterum in-
scriptionis socium asciscit Timotheum per Ec-
clesias orbis Christiani celebrem, ut huius etiã
calculo majus pondus adderetur intercessionem
pro Onesimo instituat. Et aliàs quidem Ti-
motheum passim suum appellat filium, eò
quod in doctrina Evãgelij plenius illum eru-
diverat.

diverat. Hic vero fratrem vocat, ut auctoritatem eo conciliet, ipsam quoque obtinendo instituto accommodam.

Philemoni dilecto) Ejus ad quem privatim spectat epistola nomen designatur. Is est Philemon, vir ut ex circumstantiis apparet honoratus, & opulentus civis apud Colossenses. Quamquam autem ratione inscriptionis privata possit dici epistola, tamen ratione usus doctrinae facta ea est publica, & in omnium Ecclesiarum commodum atque institutionem, cum ceteris Epistolis Pauli, quae quidem extant, divinitus consecrata. Porro Philemonem salutatur ἀγαπῶν dilectum non modò secundum dilectionem communem etiam extraneis & infidelibus debitam, sed maxime juxta dilectionem fraternam solis fidei consortibus exhibendam.

Et Collegam nostram.) Sed ὁ συνεργός appellat, hoc est, cooperarium. Quamvis enim ille haud dubie non erat ex ordine Ecclesiastico: tamen quia cursum doctrinae Evangelicae suis non modò precibus, sed etiam consiliis atque operibus enixè provehebat & adjuvabat, ita, ut ipsius liberalitate officii & operibus dilectionis viscera sanctorum resouillarentur, haud abs re D. Paulus dignatur illum

illum isto laudationis encomio atq; titulo, in qua significatione etiam Rom. 16. & Phi. 4. nonnullis personis ministerio verbi non fungentibus, quin & fœminis nonnullis, quibus alioquin in Ecclesia docendi potestatem non concedit Apostolus, tribuuntur hæc laudum ælogia, quod sint οὐβες τοι Apostoli, quodq; multum laborent in Domino. Sicut autem subscriptionis socium Paulus Timotheum sibi asciverat: Sic inscriptionis consortē Philemoni adjungit Apphiam, idq; ipsum hoc sine, ut expeditiorem viam sibi sternat ad impetrandum, quod volebat. Fuit enim Apphia uxor Philemonis: cumq; fœmina apud suos maritos possint plurimum, Idcirco, ut Onesimi reconciliatio eò feliciter procederet, ad eam suffragium Apphie tanquã matrisfamilias plurimum momenti allaturũ erat. Huius quoq; gratiam mentionem in Epigrapha censuit faciendam Apostolus, non sine addito epitheto ad captandam benevolentiam peropportuno, dum Dilectam prædicat, dilectam verò non singulari solum ratione marito suo, sed insuper ratione communis professionis Evangelicæ Apostolo Paulog dilectæ in Domino.

Archip-

AD PHILEMONEM

9

Archippo.) Archippum dicimus fuisse Colossensium Pastorem. Huius quoque disertè meminisse voluit in Epigrapha ut accedente autoritate ministri Ecclesie animas Philemonis eò fortius adigeretur validiusque expugnaretur ad recipiendum in gratiam Onesimum. Addit autem. Et quæ Domi tuæ est Ecclesie: Hac collecta erat ex domesticis haud dubie compluribus quem selectum eorum appellatione dignatur Ecclesie, quod etiam in contracto aliquo fidelitæ actu Deus gratiosè habitare & operari consueverit. Voluit autem expresse designare fideles domesticos quoque Philemonis, ut si qui horum pro Onesimo apud patrem familias atque herum intercederent, eorum intercessio tantò plus ponderis & autoritatis obtineret, ut pote, quæ vim atque nomen & definitionem sustinerent Ecclesie quamlibet private.

Gratia vobis & pax) Expedita epigrapha salutationem submittit, qua precatur Philemoni & reliquis, quos in inscriptione nominavit, à Deo patre, omnis boni fonte, & Domino Iesu Christo amissorum bonorum restauratore gratiam seu gratuitam Dei paternamque favorem atque clementiam, nec non pacem, non quidem terrenam illam

A 5

atq.

EXPLICAT. EPIST.

atq; mundanam, (licet ipsa quoq; sit eximi-
um Dei munus) sed pacem eis optat cum Deo
per Christum iam reconciliato, atq; sic pacem
conscientie in Deo seu amantissimo patre fi-
ducialiter acquiescentis.

LOCI COMMUNES:

I. Quod Paulus scribit è vinculis,
& non modò publicas orbis, sed & privatas
Christianorum Ecclesias edificare, & qua
emendationem requirebant, sanare ac resta-
rare pergit, admonemur hinc de libero expe-
ditoq; Evangelij cursu, qui nullis vinculis
concludi, nullis objectis repagulis aut impedi-
mentis inhiberi vel retardari potest, sicut E-
zechelis Prophetæ viso currum Evangelij
agitante intus Spiritu Dei liberè ad quam-
cunq; orbis terrarum partem sese vertere de-
clarat Ezech. 1. Idcirco rectè scribit Aposto-
lus 2. Tim. 2. Affligor malis tanquam facino-
rosus usq; ad vincula: at sermo DEI non su-
it vinctus.

II. Monemur vincula, carceres,
persecutiones, exilia, quæ Evangelij causa
suscipiuntur, non inurere Christianis aliquam
ignominie maculam, sed esse potius illis coram
Deo

Deo perquam gloriosa & honorifica. Itaq;
 Paulus sibi laudi ducit, quod erat vinculus le-
 su Christi. & prædicat vincula sua in gloriam
 eedere Ecclesia Dei Eph. 3. Seq; stigmata Je-
 su Christi circumferre profitetur in corpore
 suo, Gal. 6. Ad eundem modum & disci-
 puli Act. 5. gratulantur sibi, Deumq; cele-
 brant, quod digni habiti essent pro Christi no-
 mine contumelia affici, siquidem etiam mors
 confessorum veritatis preciosa est in conspectu
 Domini Ps. 116. eò quod mortè sua Deum
 ipsum glorificant Joh. 21. & 1. Pet. 4.

III. Quod Paulus & donis & Apo-
 stolica dignitate Timotheo longè excellenti-
 or, illum nihilominus fratrem appellat: Chri-
 stianæ modestiæ nobis exemplum præbet, gra-
 tia cuius p̄ homines quo sunt altiori gradu
 constituti, eò humiliter se demittunt, Eccles. 3.
 Ad quam virtutem Paulus Rom. 12. nos
 hortatur, dum scribit: non arroganter de vo-
 bis ipsis sentientes, sed humilibus vos accom-
 modantes, & Phil. 2. per humilitatem ani-
 mi alium quisq; se præstantiorem existimet.

IV. Ad exemplum Pauli decet om-
 nes quidem Christianos, maxime tamen
 verbi divini præcones esse εἰσπραξιῶν, & eò
 laborare pro viribus, ut offensorum animi
 concili-

concilientur: quo & conscientis illorum ritè
 consulatur & offendiculum, quod aliàs obo-
 viri qui verat, maturè submoveatur. Atq;
 hoc pertinet sententia Salvatoris; Beati pa-
 cifici, quia hi filij Dei vocabuntur Matt. 5.

V. In tentandis reconciliationi-
 bus adhibendam esse prudentiam, & inprimis
 de convenientibus medijs atq; personis ad in-
 eunde reconciliationis opus idoneis cogitan-
 dum; Sicut Apostolū videmus uti opera ap-
 phia & Archippi, ut iratus Philemon place-
 tur, & Onesimum in pristinam gratiam reci-
 piat. Quem in modum Christus quoq; vult
 asciri unum aut alterū, ut ejus auctoritate
 atq; opera pium hoc reconciliationis opus ex-
 peditius procedat, feliciusq; ad optatum fi-
 nem perducatur. Matt. 18.

VI. Quoniam Apostolus in ista
 causa non parum praesidijs sese habere existi-
 mat, in religiosa foemina Apphia: patet hinc
 quantum referat, ut mariti Christiani pias
 habeant ac Dei timentes uxores. Verissimū
 est verbum: Forte est vinum: fortior est rex;
 fortiores sunt mulieres, idq; vel in bonā vel
 malana partem. Quoniam autem à Domino
 est prudens uxor, prov. 19. cū qua tibi per-
 petuo vivendum sit in hoc seculo: quisq; cor-
 dat us

datus intelligit, quãa numinis reverentia, & quã ardentibus precibus ab sanctum hunc conjugij statum sit accedendum.

VII. Dulcis est appellatio Ecclesie, quã intelligimus privatis etiam familijs fidelium competere: siquidem ubicunq; duo vel tres sunt congregati in Christi nomine, illic est Ecclesia, illic in medio eorum Christus, Matth. 18. Absurdi igitur sunt Calviniani; qui sacramenta ne quidẽ in casu necessitatis in privatis domibus administrari sinunt: secus quã jam inde ab initio censuit Dei populus, in quo circumcisio conferebatur in privatis aedibus Luc. I. Quemadmodum etiam primam cœnam Christus neq; in Templo Hierosolymitano, neq; in aliqua Synagoga, sed in diversorio, privata scilicet domo celebrare non exhorruit.

VIII. Quæ bona præ cæteris sint quã maximè petenda precibus & inter Christianos invicem optanda: videlicet gratia seu gratuitus æterni Dei favor, & illa conscientie pax, quæ teste Apostolo omnem intellectum superat, Phil. 4. Hæc enim qui habet thesaurum obtinet ejusmodi, cum quo totius mundi opes ne à longè quidem conferri ventur. Hæc enim bona cœlestia sunt, spiritu-
alia

alia sunt, aeterna sunt, cum vicissim omnes opes hujus mundi caduca sunt & quandoque peritura.

IX. Testimonium observetur divinitatis Christi hanc non obscure confirmat Apostoli Pauli salutatio, qua gratiam justificantem & salvantem nos precatur Philemoni & domesticis ejus, non solum à Deo patre, sed etià à Domino nostro Iesu Christo. Quod prorsus impium foret ac Idolatricum, si Christus non esset natura, majestategue verus Deus. Is enim, à quo precamur dona spiritualia & aeterna, hoc ipso predicatur & agnoscitur pro hujusmodi Domino, qui divina haec beneficia ex sua plenitudine verè & efficaciter elargiri possit, quemadmodum ex plenitudine Christi gratiam accipimus pro gratia Joh. 1. quod solius Dei esse tam est clarum, quàm quod longè clarissimum.

SECUNDA PARS.

Gratias ago.) Exordium Eucharisticum est, quod & gratiarum actione constat & suarum pro Philemone precum commendatione, interspersis simul veris istius viri laudibus. Testatur ergo, se pro Philemone gratias agere Deo suo, nempe patri Domini nostri Iesu Christi

Christi in Spiritu Sancto, quam gratiarum actionē nunquam non in suis precibus eterno Numini pie exsolvat. Ostendit simul, que sit & gratiarum actionis & quotidiane sue precationis materia: Et gratiarum actionis quidem materiam, & subjectum esse confirmat, bonam & gratam de ipso sparsam famam. Subdit enim, cum audiam tuam caritatem & fidem &c.: Quibus verbis in Philemone duas virtutes Christianas maxime principes collaudat, fidem & caritatem, assignatis utriusq; simul objectis & effectis. Nam cum ait: Audio tuam caritatem ac fidem, quam habes erga Dominum Iesum & erga omnes sanctos: caritatem, quidem refert ad Dominum Iesum & ad omnes sanctos seu verè pios Christianos: fidem autem non ad sanctos refert (maledictus enim qui confidit in homine Iere. 7.) sed ad solum Dominum Iesum, qui cum sit natura Deus, atq; insuper ut homo una cum Deo Verbo persona: rectè ac legitime in ipsum fides & cum ea connexa invocatio dirigitur: cum quidem neutra possit ad sanctos seu vivos seu defunctos citra manifestam idolomaniam dirigi.

Ut in agnitione) iam porrò docet, que

fit

sit suarum ad Deum precum materia, quid-
 ve ab illo petat respectu Philemonis, nempe,
 ut communicatione fidei efficax fiat
 &c. sensus est: hoc in prece meam apud
 Deum ardentibus votis contendo, ut fides,
 qua tibi una mecum & cum ceteris Christia-
 nis communis est, sit efficax, & non nitatur
 solo & inani titulo, sed ipsius rei solida
 veritate, proferente se per effecta fructus ni-
 mirum fidei caritatisq; opera. Et quibus tan-
 quam minimè dubijs indicijs fides vera in
 Christum & caritas non simulata potenter
 elucescat, idq; per Iesum Christum omnis bo-
 ni in nobis auctorem & instauratorem unicum.
 Hec sunt circa qua suam pro Philemone pre-
 cationem occupatam esse perhibet. Monet in-
 super, sua hec vota non cadere irrita sed effi-
 caciter exaudiri, idq; demonstrat itidem ex
 effectis, operibus nimirum hucusq; à Philemo-
 ne cum laude præstitis, gaudium, inquit,
 habemus multum & consolationem &c.

Quod viscera sanctorum) Senten-
 tia est; quoniam hucusq; dilectionem tuam
 testatam fecisti per officia & opera misericor-
 diae exhibita sanctis seu fidelibus, quorum vi-
 scera seu corda per te sunt refocillata, dum
 Christianos pauperes, egenos, exules & aru-
 mnis

AD PHILEMONEM.

inanis alijs affectos & afflictos suscepisti tuisq;
 opibus sublevasti; hinc adeo mirificam ego
 voluptatem capio & consolationem: hinc tri-
 nismus meus ad gratiarum actionem Deo sol-
 vendam: hinc ad preces pro te faciendas, ut
 hec tanta bona in te Deus confirmet, accen-
 denditur & inflammatur. Addit autem, non
 sine singulari emphasi amabilem titulum s;
 quo fratrem illum salutatur tanquam homi-
 nem verè Christianum, ejusdemq; doctrine,
 fidei, professionis atq; spiritus vinculo frater-
 nitatq; sibi conjunctissimum. Quae pariter
 omnia sunt admirabili artificio ad captanda
 benevolentiam Philemonis accommodata,
 & ad principalem directa scopum, ut Phi-
 lemon suscipiendo servum penitentem ac fi-
 delem in animo Apostoli adaugeat hoc stu-
 dium, porro etiã precandi pro ipso & grati-
 as agendi Domino: tum ut qui suam carita-
 tem erga omnes sanctos hactenus opere de-
 claravit, eandem etiam declarare non detre-
 tet erga Onesimum, qui & ipse nunc post
 conversionem sit ex numero atq; consensu san-
 ctorum; deniq; qui sanctorum hactenus visce-
 ra refocillavit, non ilegravetur pari humani-

tate per Onesimi deprecantis culpam & Pauli pro ipso intercedentis cor recreari.

LOCI COMMUNES.

I. Etsi de omnibus Dei beneficijs gratia illi sunt agenda: quemadmodum scriptum est: In omnibus gratias agite Thes. 5. Tamen vel inprimis hic cultus gratiarum actionis Deo solvendus est, quando cernimus divinum ipsius verbum in hominum cordibus fructificare. Sic Paulus de pietate Philemonis, deq. aliorum populorum hominumq. conversione passim in epistolis suis exultat & triumphat, Deoq. gratias agit. Quemadmodum & Ecclesia in Judæa audita conversione Pauli scribuntur glorificasse Deum, Gal. 1 Estq. hoc ut omnium Christianorum, sic cum primis bonorum pastorum Ecclesie officium, ut & pro grege sibi commissio indefinenter orent, Ecclesiastic. 39. & pro illorum in pietate profectu Deum in cælis glorificent.

II. Docemur amplius precationem esse quidem à gratiarum actione distinctam, sed tamen cum eadem sic connexam, ut & inter precandum agenda sint gratia pro beneficijs

ficijs
rum
quo
nob
serv

Paul
nem
iam

orati
grati
tie

II
ma
ver

ergo
tra

Apo
Ch
nec

tius
pra
me

r. &
cre

lig
lub
obj

ficijs jam acceptis, & vicissim in ipsa gratiarum actione precandum sit, ut Deus bonum quod cepit opus, & beneficia quæ contulit in nobis confirmare, augere, & ad finē usq. conservare velit. Hoc pacto videmus in exordijs Paulinarum Epistolarum subinde preccationem gratiarum actioni intermixtam, idq. etiam sit in Psalmis Davidicis; Et Christus in oratione Dominica 7. petitionibus subjungit gratiarum actionem, hoc est, majestatis, potentie gloriæq. divinæ celebrationem.

III. Monemur quæ sint virtutes maximè principes ad descriptionem hominis verè Christiani pertinentes, nimirum fides erga Deum, & caritas erga proximum. Vtramq. nominatim in Philemone commendat Apostolus & in his consistere docet rationem Christianismi nostri, Gal. 5. In Christo Iesu nec circumcisio quicquam valet, neq. præputium sed fides per dilectionem operans. In his præceptum Dei Christianis in Novo Testamento traditum absolvi perhibet Johannes. 1. Epist. 3. Hoc est, inquit, præceptum eius, ut credamus nomini filij ejus Iesu Christi, & diligamus nos mutuo. Hæ duæ virtutes indissolubili nexu sic coherent, ut quamvis propeèr objecti diversitatem & eversæ diversam

fides sine caritate justificet, sine caritate ra-
men nunquam sit, nec ab ea separari possit.
Nam & fides si caritate sit vacua, non est fi-
des, sed fidei nudus & inanis titulus atque
gloriatio, cui non abs re vim omnem derogat
Divus Iacobus, & mortuam esse pronunciat,
Iacob. 2. Rursum caritas erga proximum
Deo probari nequit, si non ex fide profecta
sit; per fidem enim ea perficitur, & impossi-
bile est, Deo placere sine fide, Hebr. 11. Siquis
dem id omne quod ex fide non est, peccatum
est, Roman. 14.

IV. Quæ sint verè bona Deoq; probata
opera; docet nos Apostoli laudatio, qua Phile-
monem propter officia & opera sanctis presti-
ta collaudat. Sunt ergò bona opera non ea,
quæ sine mandato Dei ex propria suscipiun-
tur intentione, sub hypocritica opinione cul-
tus atq; meriti, quæ ad Colossenses 2. & ad Ro-
manos 14. nominantur: sed hæc demum no-
men & definitionem bonorum operum mere-
ntur, quæ verbo Dei præcepta sunt ex fide;
Qualia sunt officia caritatis, operaq; miseri-
cordiæ, quibus bene fit indigenti & erumoso
proximo maxime fidei domestico, quibus vi-
scera refocillantur sanctorum, quibus lavan-
tur eorundem pedes 1. Timoth. 5. ut quando-
pascun-

paſcuntur eſurientes, potantur ſitientes, veſtiuntur nudi, hoſpitiſuntur exules, viſitantur agroti & captivi, aliaq; conſimilia opera miſericordie tanquam fructus Spiritus juſtitie fidei caritatisq; exercentur: que in Chriſtianos collata, Dominus Jeſus in noſſiſſimo die ceu ſibi preſtita celebrabit & coronabit Matth. 25. De hiſ vide amplius Eſſ. 58. Luc. 14. 2. Tim. 1.

V. Deniq; notetur differentia laudationis vera & ſimulata aſſentationis ſeu adulationis. Paulus abſq; omni aſſentatione veriſſimas laudes recenſet hoc loco, alibi aliorum, in primis Theſſalonicenſum 1. Theſſ. 1. 2. Idq; facit hoc ſine, ut incitet fideles ad urgendum & continuandum & ad metam uſq; deducendum hunc pietatis curſum. Adulationis verò longè alia ratio eſt, que tota ſe ad natum atq; placitum aliorum ſerviliter accommodat, & ſine diſcretionem probat laudatq; omnia, que vel dicuntur vel geruntur ab alijs, ſive ea laudem ſive vituperium mereantur. A quo vitio non modo plurimum diſtat illud laudationis genus, quo Paulus utitur, ſed eidem quoq; vitio adulationis preſertantur objurgationes eorum, qui ex animo

sincero ac benevolo aliorum vitia taxant ac reprehendunt, Pro verb. 27. Eccles. 7.

TERTIA PARS.

Quapropter quamvis) *Ad propositionem Epistolae principalem sibi transitum parat Apostolus, mox perspicue traditurus propositionem ipsam suis rationibus & argumentis confirmatam.*

Quamvis multa) *Hæc eò spectant, ut doceat, posse quidem se tanquam Apostolum Christi id quod velit pro officij autoritate præcipere, cum eius sit generis, ut alioqui Philemon tanquam homo Christianus id pie detrectare nequeat, (hoc enim vult Apostolus quando & ξῖνος nominat, quod videlicet convenit ex officij ratione.) tamen cum talis sit nempe Paulus senex, nunc autem etiam victus Iesu Christi; daturum hoc Philemoni Apostolo suo, daturum ipsius caniciei, daturum vinculis eius, quæ toleret ob testimonium Iesu Christi, ut in petitionem illius non modò honestam, sed & piam haud gravatè consentiat. Nondum tamen exprimit, quid velit sed quia res videbatur minus grata esse futura, Paulus singulari artificio latenter & oblique per circuitionem Phile-*

moniæ

monis animum quasi præoccupat, & ad rem ipsam quam petiturus erat ita præparat & disponit, ut faciliori de hinc negotio institutum suum obtinere queat.

Rogo autem pro filio meo) Insinuatione sic præmissa nunc quid sit, quod instituit, notanter exprimit. Estq; hæc totius Epistolæ propositio: cuius summa hæc tendit, ut Philemon Onesimum servum in pristinam suam gratiam recipiat. Cæterum propositio nem non ponit nudè, sed rationibus ad persuadendum appositis egregiè, communità. Neq; enim simpliciter ait: Rogo pro Onesimo, sed pro filio meo, & quidem eo filio, quem genui in vinculis meis. Onesimum appellat suum in Christo filium, propterea, quod per Evangelium illum genuerat seu ad fidem Iesu Christi converterat ex Ethnicismi tenebris ad lucem agnitionis Dei simulq; à pristina perversitate morum ad pietatem integritatemq; illum perducens.

Addit verò quondam tibi inutili &c. Est hæc quoq; ratio, qua Philemon ad reconciliationem permoveri possit, quod posthac usurus sit Onesimo non inutili sed frugi & utili servo. Quæ ratio simul inclusam habet tacitam vim occupationis. Potuisset n. obtendere.

Philemon? Cur in meum famulitium recipiam eum servum, qui rei meae familiari obest magis quam prodest? Respondet Apostolus per anticipationem illustratam antithesi temporis praeteriti & praesentis: Erat quidem ille quondam tibi inutilis: nunc vero religione in melius permutata factus est planè alius, estq; jam perutilis idq; non tibi solum, sed & mihi, quandoquidem hujus rei luculentum specimen edidit, utiliter admodum serviendo mihi in vinculis meis. Notetur autem, quod Apostolus hac descriptione personae alludat ad nomen Onesimi, quod utilem significat, quemadmodum legitur apud Sophocle, ἐχθρῶν ἐδάρα δ' ἄρα οὐχὶ οὐκ ὀνισίμα. Inimicorum dona nec dona sunt nec utilia sunt: ac si dicat Paulus: Ipse porrò se & professione fidei dignum geret, & nomine suo, seq; tibi verè probabit οὐκ ὀνισίμου ἢ ἐχθρῶν utileν ἀτὰρ φυγί. Adjicit verò, quem remisi, ut hoc etiam symbolo suum de Onesimo honorificum judicium, declaret, q. d. Si existimarem ipsum tibi posthac etiam inutilem fore, crede mihi, sum ego eo in te animo, ut nunquam illum ad te remissurus fuerim. Nunc verò, quia nihil in teo illum tibi remittere: habes meae de ipso opinionis haud quaquam vanae testimonio. *am locupletissimum.*

Tu

Tu autem eum) Pertinent hæc quoque
partim ad propositionem, partim ad illius
confirmationem. Propositio repetitur in his :
Tu illum recipe. Confirmatio verò seu ratio
persuadendi consistit in eo, quod Onesimum
sua viscera appellat, ut sensus sit : Si me Pau-
lum amas, tu queso Onesimum haud aliter
atque me propriumque cor meum suscipe, & offen-
sum, quam contra illum animo concepisti, ben-
igne remitte.

Quem ego cupiebam) Aliud ar-
gumentum profert, quo Philemonis animum
expugnet, & ad piam reconciliationem cum
Onesimo ineundam traducat. Ostenditur
enim hisce verbis, Onesimum studio, seduli-
tate, diligentia & fide summa ita ministraffe
Paulo captivo, ut si bona cum pace Phile-
monis retinere illum licuisset, omninò illum
retenturus fuerit Apostolus. Hoc igitur ex-
emplo suo factoque honestissimo de eo judicio,
hanc ratiocinationem insinuat. Philemoni,
ut secum perpendat, quia tantus Apostolus
tam honestè judicet atque sentiat de Onesimo,
nequaquam id iudicium ac testimonium fore
de nihilo, sed planè talem esse factum, qualem
illum Paulus deprædicet.

Vt pro te ministraret mihi) Facit

B 5

hoc.

hoc quoque non omninò nihil ad propositum ob-
 tinendum, quando cogitandum relinquitur
 Philemoni, Apostolum Ministeria ab Onesimo
 sibi captivo prestita tanti aestimare, ac si ab
 ipso hero Philemone ea essent profecta: Qua
 etiam de causa animatus fuerit illum apud
 se detinere, sed absq; Domini sententia, nihil
 voluisse de alieno seruo statuere: Ne velut ex
 necessitate esset bonum hoc, id est, ne viderer
 hoc officium extorquere velle ab inuito, sed ut
 esset spontaneum & à libera voluntate profea-
 ctum. Cum ergò beneficio hoc frui sibi nò licu-
 erit; subindicat Paulus, ut id bonum dicta de
 causa praetermissum bono alio pensare & cum,
 què Apostolus ministerij causa retinere cupie-
 bat, in locum pristinũ reponere nò degravetur.

Nam propterea forsitan) *μείωσις* est
 in verbo ἐχωρίσθαι secessit. Fugam enim mi-
 ore vocabulo secessionem nominat: Quemad-
 modum & in eo se offert ista figura, quod totũ
 illud tempus absentia Onesimi ὄσων appellat,
 dicens πρὸς ὄσων ἐχωρίσθαι. Habent autem ista
 vim προλήψεως, Siquidem id, quod insitute
 suo incommodare poterat, occupatione pra-
 vertit, & in meliorem interpretando para-
 tẽ ad propositi sui consecutionẽ utile sibi red-
 dit, dum furtivum Onesimi discessum non

tana

tam ex fugitivi servuli mente, pensitandum
 manet, quam ab eventu, qui longè saluber-
 rimus est insecutus, adeoq; ex Dei providen-
 tia, quæ hanc fugam ita gubernavit, ut ista
 occasione perveniret ille ad Apostolum, eiusq;
 concione ad aeternæ salutis viam eductus, post-
 modum suo Domino redderetur longè melior
 ac fidelior, quam ab illo discesserat. Itaq; illud
 (δικαιότατον) non referendum est ad consilium
 Onesimi fugientis, qui eo certè animo ab hero
 non profugerat: sed ad dispositionem Dei fu-
 gam hanc accommodantis & revocantis ad
 optatum finem & salutarem eventum. Atq;
 hoc ipso damnum, quod per absentiam servi
 & subductionem operæ illius datum erat rei
 æconomica Philemonis, cumulatissimè pen-
 satū ostendit Apostolus, dum eum, quem antè
 parùm fidelem amiserat ad tempus, nunc re-
 cipit quasi in perpetuum eumq; fidum ac frugi
 servum redditum, imò non iam ut servum sed ut
 fratrem in Domino. Proinde cum Onesimus iure
 servitij sit ex bonis & possessione Philemonis, pro lucro
 reputare debet, quod pro Ethnico olim & infideli nunc
 Christianum ac fidelem recipit, ut licet is conditione sit
 servus, professione tamen eiusdemq; fidei communione su-
 pra servilem conditionem emineat, & pro fratre dilo-
 cto habendus sit. Neq; otiosum est, quod attexit Apostolus:
 Maxime mihi, quato magis antè tibi & in carne
 & in Domino, Cum n. Paulus minime dubitet tanto
 favore

favore & benevolentia complecti Onesimum, qui aliàs ei non nisi sola fidei societate junctus erat, quanto magis ostendit diligere illum oportere à Philemone, cui duplici ratione conjunctus, & in carne ratione servitutis, & simul in Domino, ratione ejusdem in Christo fidei.

Si igitur me habes consortem) In admiranda brevitate, qua Paulus utitur, nihil omittit, quod ad emollicendum Philemonem pertinere videatur, ac efficacissimo argumento per illationem ex superioribus demonstrat, dignum esse Onesimum cui ignoscatur. Simul indicat, non se ferre, ut ab Onesimo in ista parte dilectionis distrahatur, sed omnino alterutrum esse necesse, ut Philemon aut utrumq; diligat, aut utrumq; pariter aversetur.

Quod si quid laesit te) Rursum occupatione praevertit ac diluit id, quod objiceriverat. Potuisset enim obvertere Philemon: Quis interim mihi rependit id, quod ille fugiens secum abstulit, quis reponit damnum, quod mihi dedit per absentiam suam subtractumq; servitium? Respondet Apostolus se velle respondere. Itaq; sibi debitum illud ascribi, se fidejussorem admitti petit, in cuius rei fidem ac certitudinem testatur hæc sua scribi.

scribi manu, ideoq; Philemon Epistolam hanc
asseruet loco Chirographi; quo se Paulus ad
solutionem loco Onesimi obstringat.

Vt ne dicam) Sensus horum verborum
est: Ex abundanti me ad liberalem omnium
eorum, quæ tibi debet Onesimus, dissolutio-
nem offero, quantum vis, si ratio subducatur,
ster nostrum utri plus debeat, Egone tibi lo-
co Onesimi, an verò tu mihi? ipsemet fate-
ari necesse sit, te plus mihi debere, eò quod
opera ministerioq; meo tibi ad Deum cogno-
scendum (quo non alius est sub sole thesaurus
preciosior) ceu faciem quandam prætuli ad
cognoscendum Deum. Ad eò, ut non modò
tantillum, quantum fortè est, quod debet O-
nesimus, sed reipsam mihi insuper debeas.
Quæ tamen Apostolus, non exprobrandi ani-
mo commemorat, sed eò descriptionis stylum uni-
cè dirigit, ut Philemon consideratione tantò
rum beneficiorum, quæ accepit à Paulo, re-
minerit vicissim, non ita rigidè agere cum
Onesimo, sed detrimentum illud quò affectus
est, abunde jam tot tantisq; meritis in illum à
Paulo profectis largissimè compensatum
statuat.

Etiam Frater) Particula Nōi ro-
gantis simul est & benè sperantis, quin certò
con-
f-

confitentis; ac si dicat Paulus: planè sperò, mi frater, intercessionem meam a quod te non fore irritam, sed habituram pondus atque vim eam, ut frui liceat tua ignoscendi æquanimitate & in gratificãdo liberalitate: id quod te maiorem in modum rogatum velim. Addeus autem, in Domino, monet tale esse officium, quod Deo placeat, & illius gloriæ serviat, & per pietatem præstari possit, imò quod nec omitti piè, nec denegari salva cum conscientia queat.

Refocilla viscera mea) Simpliciter dixisset: Rogo te per Dominum, ut ignoscas Onesimo. Hanc autè propositionem sic effert, ut simul declaret, viscera sua, id est, cor suum refocillatum iri, si eum, quem in precedentibus sua viscera nominaverat, condonato delicto dignatus fuerit antiquo suo favore & benevolentia.

Confusus de obedientia tua) Conclusio est, qua se de ipsius promptitudine spem non dubiam fovere perhibet, quod videlicet petitum officium non modò denegaturus nõ sit, sed plus etiã præstiturus, quam Apostolus efflagitet. Cuius de illo conceptæ fiducia signum sit, quod tam ad illũ scripserit confidenter & familiariter. Utitur autè obedientia vocabulo,

non sine singulari emphasi. Subindicat n. e converso inobedientiæ notam. Philemonem effugere haud posse, si non obsecundet Apostolo Christi tam æqua, tam honesta, tamq̃ pia roganti, quæ etiam ex Apostolica autoritate mandare poterat.

LOCI COMMVNES.

I. Discant ab exemplo Pauli concionatores prudentem & Christianã moderatorem, ut ea etiam, quæ secundum verbum Dei præcipi queunt, & cum auctoritate injungi, non tamen imperiosè ab auditoribus extorquere præsumant; multo minus alia cum Dei verbo pugnantia, pro libitu illis imponat (quod ut antichristianum in Papa merito reprehenditur, neq; enim dominit̃ in Ecclesia exercere debet verbi divini ministri, 1. Pet. 5.) sed ut per caritatem rogent potius, obsecrent, & fraternè moneant. Quod etiã in summo negotio salutis Paulus cateriq; Apostoli factiitarunt. Sic enim 2. Cor. 5. de se suisq; in Apostolatu Collegiis ait: Nomine Christi legatione fungimur, tanquam vos Deo obsecrante per nos: rogamus igitur pro Christo, reconciliemini Deo.

Hinc

II. Hinc iterum apparet ingens
dissimilitudo inter Paulum Apostolum,
& Ecclesie Romanae Pontificem. Ille rogat et-
iam in his, qua pro auctoritate posset praece-
pere: Hic verò cunctis mortalibus etiam orbis
terrarum Regibus & Monarchis plus quam
praetoria potestate mandat, dicit, imperat,
quacumque fert libido, & quidem mandat, sub
comminatione ira omnipotentis Dei, &
indignationis Apostolorum Petri & Pau-
li, quorum ille simile habet nihil praeter ni-
dum & inanem titulum.

III. Docemur amplius senibus, ijs
maximè qui de Ecclesia bene merentur, atque
sic non carnicie duntaxat, sed pietate & vir-
tute venerandi sunt, praeter honorem, qui ex
praescripto Leviticae legis debetur illis Levit.
19. prestanda insuper esse grata officia, quanta
tum per pietatem, & conscientiam fieri po-
test, quemadmodum Apostolus sibi seni hoc
dari postulat, ut bona cum gratia impetret,
quod petiturus erat.

IV. De dignitate & gloria vincu-
lorum, crucis, afflictionum & adversitatum,
que propter Evangelium pijs confessoribus ac
testibus veritatis accidunt, de quo loco com-
muni dictum est supra.

V. Quod

V.
sina
con
ci h
ver
bor
fan
gan
nun
Qu
titu
ego
tra
li,
& n
Jac
lun
Est
Ioh
crea
VI.
infi
scr
hun
eog
ob a
Hox

V. Quod Apostolus affirmat se Onesimum genuisse, hoc est, ad Evangelij fidem, convertisse: de efficacia ministerij Ecclesiastici hinc edocemur, quod nimirum predicatio verbi non sit inanis sonus aut strepitus verborum in aërem evanesceus absq; fructu, ut fanatici blasphemant: sed quòd sit efficax organon regenerationis & conversionis hominum ad Deum & perpetuam salutem, Quemadmodum consimili phrasi Paulus utitur 1. Cor. 4. cum inquit: In Christo Jesu ego per Evangelium vos genui. Hinc D. Petrus nos regegitos ait, non ex semine mortali, sed immortalis per sermonem Dei viventis & manentis in aeternum 1. Epist. 1. Et Divus Jacobus cap. 1. scribit, Deus destinata voluntate genuit vos per sermonem veritatis. Est enim Evangelium verbum vitae aeternae Iohan. 6. et potentia Dei ad salutem omni credenti Rom. 1.

VI. Quod Apostolus Onesimum infimae sortis hominem suum filium, quod viscerasua, quod fratrem dilectum nominat: humilitatis exemplum nobis illustre exhibet: eòq; regulam praescribit, ne quisquam se vel ob donorum excellentiam, vel conditionis hoxiv efferat supra alios, sed memor sit verborum

C

borum

borum Domini: qui vestrum maximus est, sit reliquorum minister. Luc. 22. Matt. 18. Et quod Syracides ait capite 3. Quo major es, eò te gere submissus, & gratiam apud Dominum reperies.

VII. Iterum verò apparet infinita dissimilitudo inter hunc Apostolum & inter Romanum Pontificem, qui talem servulum, qualis erat Onesimus, ne in conspectum quidèmitteret, nedum ut fratris illum appellatione dignaretur, utpote, qui etiã Monarcha orbis, ad pedum suorum pulverem abijsset, & pro libitu suo illos tractat & exagitat.

VIII. Præscribit simul omnibus Christianis Apostolus, quales esse cõveniat erga lapsos qui resipiscunt. Quod Onesimus ab hero se subduxerat, peccatum erat. Quod autem non sine furto profugerat, majus etiam peccatum erat: at resipiscenti, non modò non exprobrat Paulus admissum scelus, sed eò totis viribus contendit, ut tegat illud, & ab hero Philemone condonationem ejus impetret servulo; quin id commodè insuper interpretatur ab eventu, qui bonus & salutaris est insecutus. Planè ut Ioseph, fratrum suorum scelus benignè interpretatus legitur, cum diceret: Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud

in bonum, Gen. 50. Impie ergo sunt affecti, qui lapsos quamlibet resipiscentes præ se contemnunt & condemnant. Sicut mulierem peccatricem Luc. 7. Mulierem in adulterio deprehensam, Ioh. 8. Publicanos & peccatores ad Christum appropinquantes, Luc. 15. 18. altissimo supercilio despiciebant & condemabant Pharisei; quibus ob hunc ipsum fastum hypocriticum salvator publicanos & meretrices in regno Dei longissimè præfert Matt. 21. Eisq; Ioh. 8. damnantibus adulterā respondet: Qui vestrum immunis est à peccato, primus in eam lapidem jaciatur. Quapropter ne quid ijs exprobremus, qui recedunt à peccatis: Syr. 8. Imò si quis homo præoccupatus fuerit aliquo delicto, instauretur potius à nobis spiritus mansuetudinis, & consideret quisq; semetipsum, ne & ipse tentetur Gal. 6.

IX. In primis ab exemplo Pauli discant Pastores, quam impensè debeant sibi habere commendatam salutem eorū qui seriā penitentiā agunt, quam enixè laborare debent, ut tales necessaria consolatione erigantur, omniaq; tollantur, quæ pio illorū proposito aliquam remoram afferre, vel denuo illos ad pristinam impietatem, transverso agere, possideantur. Quæ in parte præter Exemplum

Pauli habent Concionatores etiam proximo Christi, qui tanquã pastorum princeps incredibili studio, cura & mansuetudine miseros peccatores quaesivit, & in viam sempiternæ salutis clementissimè reduxit, Luc. 15. Quod præter exempla supra memorata peccatrici adulteræ, publicanorum, ostendit etiam historia de Matthæo, Zachæo, Petro, Thoma, Paulo & alijs, Matt. 9. Luc. 19. & 22. Joh. 20. Act. 9. X.

Monemur, veram pænitentiam non niti sola externa confessione peccati, citra emendationem vitæ ac morum, sed habere ad unctum propositum abstinendi posthac à peccatis, serviendiq; Deo & omnino ex fructibus æstimandam esse Matth. 3. Quæ admodum Onesimus prius Ethnicus, nunc fit Christianus, prius inutilis, nunc utilis efficitur, suamq; pænitentiam factò ipso probat, dum fidelitate studioq; summo ministrat D. Paulo in vinculis. Sic Zachæus re ipsa demonstrat, verè si ex laqueis Diaboli & avaritiæ sordibus resipuisse, quando ait ad Dominũ: Ecce dimidium bonorum meorum. Domine, do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum: ad quem Iesus: Hodie inquit salus Domui huic contigit, eo quod & ipse filius Abrahæ

brabæ est. Venit enim filius hominis querere id quod perierat. Luc. 19.

XI. De admiranda Dei sapientia, quæ pessima quæq; ad optimos ac præstantissimos fines novit reducere: Aded, ut his qui Deum diligunt, universa (etiam lapsus illorum) cooperentur ad bonum Rom. 8.

XII. Paulus Onesimum sua viscera nominans, illumq; tanquam se suscipi petens, perspicuè testatur, dilectionem Christianam esse debere non fucatam, non in verbis aut lingua positam, sed in opere & veritate. 1. Ioh. 3. Atq; sic vehementem, ardentem, planeq; fraternam Rom. 12. 1. Pet. 4.

XIII. Evangelium non tollit discrimina conditionum inter homines, nec probat illam, quam Anabaptista urgent, equalitatem & ἰσότητι, gratia cuius nemo sit alterius dominus, nemo servus, sed docet, quod hæc ordinum & statuum differentie salva pietate servari possint. Sic Paulus non proscribit Philemoni, ut emancipet Onesimum, sed tantum monet, ut clementer illum ac benignè tractet.

XIV. Habemus etiam exemplum in Paulo virtutis decimo precepto mandatae, Ne concupiscas servum proximi tui. Idcirco

licet Apostolo minus esset commodum à se
dimittere Onesimum, eiusq; carere opera,
tamen precepti modò dicti memor, nihil præ-
ter voluntatem Domini ad cuius possessionem
ille pertinebat, faciendum esse putavit.
XV.

Officia, beneficiaq; Christianorum
debere esse spontanea, dicente Paulo;
Ne velut ex necessitate esset bonum tuum,
sed spontaneum. Sic 2. Cor. 9. jubet in usum
Ecclesiarum in Iudæa, cum fame conflictan-
tium contribuere secundum propositum cor-
dis, non ex molestia aut necessitate. Nam hi-
larem datorem diligit Deus, ut ibidem ex
35. cap. Ecclesiastici Paulus adijcit.

XVI. Beneficia, quæ per ministe-
rium verbi conferuntur in auditores, non
posse ulla satis digna remuneratione pensari,
Huc spectant Pauli verba: Vt ne dicam, quod
etiam te insuper mihi debes. Nam quæ Deus
per ministerium Pastorum confert hominibus
sunt spiritualia & æterna bona: quæ vicissim
auditores retribuunt Pastoribus suis, tempo-
ralia sunt, & ut idem hic Apostolus nuncupat
carnalia. Si nos, inquit, vobis spiritualia semi-
navimus, magnum est, si nos vestra carnalia
refuserimus. 1. Cor. 9. Idcirco non sit gravæ
quædam

auditoribus benefacere pijs verbi ministris
 Eccle. 7. juxta illud, Gal. 6. Qui catechiza-
 tur sermone, communicet ei, qui se catechizat,
 de omnibus bonis.

XVII. Apud homines pios & bonos
 plus efficit oratione placida & amica, quam
 exhortationibus nimium severis & acerbis.
 Et quoniam illi jam ante sic animati sunt, ut
 facere non recusent, quæ factu opus esse intel-
 ligunt: idcirco debent pastores de illorum
 obedientia confisi, non eis molesti esse verbo-
 rum importunitate, sed festiva hac & famili-
 aritate, qua Paulum hic usum cernimus,
 illos sui officij admonere.

QVARTA PARS.

Simul autem præpara) Familiaria
 quedam & Epistolaria complectitur hæc ul-
 tima pars Epistola. Et primò quidem hospi-
 tium sibi conducit apud Philemonem: quod
 ipsum ad principalem causam obliquè con-
 fert: ut Philemon cognoscens quod pro-
 pediem in suis tectis habiturus sit Paulum
 Apostolum, eò promptius det expeditum,

C 4

quod

quod petitur, ne veniens Apostolus staturum rei domestica Philemonis offendat longè alium quàm expectaverit. Quid quòd Paulus ob hanc ipsam causam apud Philemonem potius quam apud ullum alium civem Colassensem sibi hospitium Parari petit, id quòd eo maturius indicat, non quod ad sui tractationem magnum apparatus requirat, qui paucis didicerat esse contentus, sed ut expectatione sui adventus cetera validissimo ariete Philemonis animum expugnet, & ad suscipiendum Onesimum permoveat. Porro ipsa mentio incundi apud Philemonem hospitij presupponebat significationem spei, quàm de sua ex vinculis liberatione conceperat Apostolus. Eam verò nihilominus disertis verbis exprimit inquit: spero enim quod donabor vobis, id est, concepi spem minimè vanam fore ut per misericordiã Dei reddor vobis incolumis, quo vobis in Evangelio servire diutius ac prodesse queam. Addit autem, Auxilio vestrarum precum. Etenim, pro liberatione Pauli captivi indesinenter ad Deum orabant Ecclesia gentium: quas preces nequaquam irritas fore Paulus ostendit, siquidem futurum haud dubiè sit, ut Deus tot fidelium precibus atquè votis excitatus optaturo

optatam liberationem Apostoli sui clementer
sit procuraturus.

Salutant vos) Nunc porro quorundam adprime celebrium doctorum nomine salutatur Philemonem. In quo catalogo primum ponitur concivem & sympatriotam Philemonis Epaphram, Colossensium Pastorem, nunc vero, Pauli Apostoli concaptivum, non equidem ob ullum flagitium, sed ob testimoniam Christi. Unde concaptivum dicitur in Christo Iesu. Apparet autem ex hoc loco Epaphram, qui Primus Ecclesiam Colossensium plantavit, fuisse ab hostibus Evangelij accusatum, & Romam ductum, atque in vincula coniectum. Secundo Marcum nominat Consobrinum videlicet Barnaba, cuius pientissima mater Maria primitiva Ecclesie discipulis Jerosolyma hospitium praeberet & domum suam ad conventus agendos pia liberalitate concedere solita erat. Act. 12. & alibi. Tertio salutatur Philemonem nomine Aristarchi, quem itidem concaptivum suum nominat Col. 4. Quarto recensetur Demas, qui eo tempore adhuc erat constans Evangelicae doctrinae sectator, at post secessit à Paulo, amplexus praesens seculum, 2. Tim. 4. Tandem Lucam nominat, nimirum Evangelice

stam, qui una cum Paulo Romam venerat Act. 28. Hos suos dicit esse adutores in dilatando regno Christi, atque horum omnium nomine salvere jubet Philemonem. Quae salutationi ei maximè erat honorifica, ita suum habuit pondus ad principale negocium felicio-re successu expediendum. Huc enim spectat ut Philemon tantorum doctorum autoritate motus eò facilius sibi reconciliationem Onesimi persuaderi sinat, siquidem hos omnes una cum Timotheo, cujus in Epigraphia mentionem fecit Apostolus, intelligat esse conscios, intercessionis Pauli pro Onesimo, suorumque calculo eam approbare: prorsus igitur indignum & indecorum esse futurum, si tot, tantorumque Ecclesia Doctorum autoritatem aspernetur.

Gratia Domini) Votum consuetum est, quo Paulus suas finit Epistolas; gratiæ voce gratuitum Dei favorem & clementiam per Iesum Christum nobis exortam intelligens una cum divina misericordia huius effectum, qui est donatio Spiritus Sancti habitantis & agentis in nobis. Quando ait: Cum spiritu vestro; Spiritus vocabulo mentem seu animum desi-

gnat

gnat Philemonis & domesticorum, ut sententia
voti sit hac: Precor ego vobis, ut Dominus Ies-
us Christus qui gratiã merito suo comparavit
nobis, eandem vobis efficaciter applicet, & in a-
nimis vestris atq; cordibus obsignet, vestrasq;
mentes spiritu suo regat, in omni bono confir-
met, maxime verò in fide ad finem usq; con-
servet.

Loci Communes.

I. De hospitalitatis officio, quod
olim antequam publica diversoria patebant,
erat nequaquam vulgare beneficium, apud
Christianos presertim, qui exules ob Evange-
lium Christi incertis sedibus vagabantur, quos
hospitio excipere maximum erat non solum hu-
manitatis sed pietatis quoque officium. Ad
quod liberaliter prestandum toties hortatur
Spiritus Sanctus Roman. 12. 1. Pet. 4. Heb. 13.
Sub promissione certa, largissima retributionis
non solum in hac sed etiam in altera vita,
Matth. 25.

II. Preces piorum non esse ociosas
aut infrugiferas. Certè precibus sanctorum
Paulus

Paulus fert acceptam suam è vinculis liberationem. Et quod ex illa gravissima & humanis viribus insuperabili adflictione, quæ Paulo accidit in Asia, præter omnem spem eluctatus est, cum jam jam sententiam mortis apud semetipsum concepisset, id ipsam quoque precibus Corinthiorum aliorumque Christianorum adscribit. 2. Cor. 1. Ideoque rectè fit, quando Ecclesie pro se mutuo Deum precantur, quando item unius ejusdemque Ecclesie membra mutuis sese jurant precibus. Nam si unius etiam justi precatio efficax est 1. Iacob. 5. quanto minus cadent irritæ preces, quis unanimitibus votis atque sententijs Christiani fundunt & faciunt, dicente salvatore Matt. 18. Dico vobis, quod si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à patre meo qui in cælis est.

III. Salutationes quoque Christianorum mutuas fide acceptas, docemur irritas haud quaquam esse, sed attestante Domino, pacem, quam precantur pii, venire & requiescere super eos, qui pace sunt digni. Matth. 10. Hac causa est, quod toties monentur Christiani, ut se invicem salutent cum osculo sancto Rom. 16. 2. Cor. 13. 1. Thes. 5.

IV. Quòd

IV. Quod Iohannes Marcus Barnaba consobrinus nunc se constantem gerit, qui Act. 13. à Paulo & Barnaba discesserat, quod pericula & molestias itineris ac laborum subterfugeret, admonemur, ne protinus infirmos in fide abijciamus, Rom. 15. sed suscipiamus ac toleremus. Potest enim Deus illos fulcire ut stent, Rom. 14. Imo ut alij, qui prius in fide putabantur esse inmoti, evadant per Dei gratiam firmiores. Quod exemplo Nicodemi & Iosephi ab Arimathia patet, qui ante quam ingrueret periculum, erant sanè discipuli Domini Iesu, sed occultè praemetu Iudaorum. At in crucem atto Domino tempore longè formidolosissimo prior fidei scintilla in tantam excrevit flammam, ut honorem sepultura impertientes Domino se discipulos ejus esse publicè profiteri nihil extimescerent.

V. Econtra Demæ Exemplum qui nunc quidem adhaeret Paulo, mox ab illo desciscit, vigilantia nos adomeat, ut qui stat, videat, ne cadat. 1. Cor. 10. Scrijs ergò precibus, instemus, ne Deus in tentationem nos induci sinat, neve Spiritum sanctum suum à nobis auferat Psal. 51. sed sua ipse virtute

nes

nos benignè fulciat, ut legitimè certantes & ad vitæ finem perseverantes coronam iustitiæ tandem accipiamus, 1. Cor. 9. 2. Tim. 2. & 4. Apocal. 2.

VI. De gratia Christi, quam Philemoni & domesticis optat Paulus consueto sibi & in omnibus epistolis repetito voto: hoc ipso docens nihil hæc Christi gratia esse præstabilius aut antiquius. Magnum esse putatur si quis in gratia Cesaris aut alicuius regis vel principis est. Sed hi quoq; homines sunt, in quibus non est salus Psal. 146. Incomparabiliter ergo maius ac divinius esse, beneficium censendum est, si simus in gratia Christi Regis Regum & Domini Dominantium Apoc. 17. qui vel in aeternum salvare potest eos, qui gratiam ejus oblatam in Evangelio accipiunt, acceptamq; conservant, vel in gehenna perdere animas & corpora eorum qui gratiam illius aspernantur.

FINIS.

s &
ustia
r. 2.

Phi-
o si
hoc
ra-
itas
egis
nt,
m-
be-
tia
an-
are
Eu-
nt,

...
...
...
...

11



B
ST
SP
Lo
gna
Aca
nt

Jo
s

Exc


Vw. Feⁿ 4245



Fe^o 4204

X 274 7983





2
an 1
D. ÆGIDII HVNNII
piæ memoriæ,
COMMENTARIIS
OLVS IN EPISTOLAM
D. PAVLI Apostoli ad
Philemonem,

*Nunc primum in lucem editus
opera & studio*

HELVICI GARTHII, S. S.
THEOL. D. PAST. ET SVP.
Ossatiensis.



Cum Gratia & Privilegio Electorū Saxoniarū

WITTEBERGÆ.

Typis Mullerianis, impensis Becha
oldi Raab & Clementis Bergerii

ANNOM. DC. VII.